

August Varenius Johannes Meyer

**Breviarii Theologici Disputatio ...**

**19 : De Sacramento Eucharistico, Cum universe, tum peculiariter, de quaestione Quousq[ue] in illo Sacramento admittendum sit Sacrificium & cum in illo, tum extra illud, Oratio Pro Defunctis, Et qua super utroq[ue] illo argumento, sententia Apologiae Confessionis Augustanae?**

Rostochii: Kilius, 1677

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn738077046>


Band (Druck) Freier  Zugang




RU theol. 14. Juli 1677

Vasenius, August

~~Meyer, Johannes~~







BREVIARIUM THEOLOGICUM  
DISPUTATIO XIX.

DE

SACRAMENTO  
EVCHARISTICO,

Cum universè, tum peculiariter, de quæstione  
*Quousq; in illo Sacramento admittendum sit SACRIFICIUM*  
*& cum in illo, tum extra illud, ORATIO PRO DEFUNCTIS,*  
Et quæ super utroq; illo argumento, sententia APOLOGIÆ CONFES-  
SIONIS AUGUSTANÆ?

MODERATORE  $\Theta$ EAN $\Theta$ P $\Omega$ Π $\Omega$   
Sanctissimo Testatore,

&

Potentissimo Testamenti sui Executore,  
Consensu venerandæ Facult. Theologicæ

PRÆSIDE

AUGUSTO VARENIO, D.

Sereniss. Ducum Meklenb. Consistorii Assessore,  
Theologo Professore, Collegii Theol. Seniore &  
h. t. Decano.

publicæ collationi Academicæ


d. 14. Julii hor. ab 8. mat. in Aud. magno

submitter

JOHANNES Meyer / Gedanensis,

Rostochii an. MDCC LXXVII.

Typis Hæred. JOHANNIS KILII, Acad. Typogr.



INCLYTO SENATUI  
LAUDATISSIMÆ REIPUBLICÆ GEDANENSIS,  
PERILLUSTRI DOMINO  
BURGGRAFIO REGIO,  
GENEROSIS, PERMAGNIFICIS, MAXIME  
STRENUIS, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS,  
DOMINIS,

PRÆSIDI,  
PRÆCONSULIBUS  
AC  
CONSULIBVS CETERIS,  
PATRIBUS PATRIÆ,  
OPTIMIS, MERITISSIMIS,  
MUSARUM PATRONIS atq; NUTRITIIS  
BENEFICENTISSIMIS,  
DOMINIS MÆCENATIBUS, EVERGETIS, AC  
PROMOTORIBUS SUIS, SUMMA PER ÆTATEM OMNEM OBSER-  
VANTIA SUBMISSISSIME DEVENERANDIS,  
VITAM ET FELICITATEM PERPETUAM PRECATUS,

Dissertationem hanc Theologicam in ulteriorem sui, stu-  
diorumq; suorum commendationem, animo devotissimo consecrat  
subjectissimus Cliens,

JOHANNES Meyer/  
Gedanensis,

ARTICULUS XII. de SACRAMENTO  
COENÆ DOMINICÆ.

SECTIO I.

§. 1.

**G**raviter exordiente seculo XI. Fulbertus Ep. Carnotens. ad Adeodatū, DOMINICI, inquit, CORPORIS ET SANGVINIS venerabile SACRAMENTUM non est disputandum: sed metuendum, cum cœlestis altitudo mysterii non plene possit officio lingvæ corruptibilis exponi. Nec aliam, inde ab Institutione sacratissimâ, ejusdemq; per 3. Evangelistas, & Paulum (qui quicquid hujus Sacramenti Ecclesiæ tradidit, æquè ac cetera mysteria vel fidei salvificæ dogmata, à DOMINO JESU, jam exaltato, immediatè accepit) publicatione Canonicâ, primitivæ, quæq; huic successit, veteris Ecclesiæ, mentem fuisse, optumèq; huic per 1000. circiter annos, in hoc tremendo & ineffabili CORPORIS ET SANGVINIS CHRISTI mysterio, vel ejus potius simplicis formâ, juxta Verba Institutionis, propositione, relegatis variarum, etiam execrabilium hæresium commentis, vel execramentis, constitisse, ipsa minutius excussa loquitur actorum Ecclesiasticorum historia.

§. 2. Magno quippe consensu in Sacrà Cœnâ mysterium agnovit, & inde illud *κρυπτόν δέονον, Φρικώδες τερον* appellavit, vetus Ecclesia, & mysterium quidē illud non solum sub notione communi (quatenus omnia dogmata, à solo Deo revelata, velut *ratiōni*, ante & extra revelationē, arcana, penitèq; ignota & sic mysteria sunt) sed & sub notione *singulari*, idq; (1) quoad *presentiā* Corporis & Sanguinis Christi his in terris, ubi S. Cœna celebratur, (2) quoad *unionem* illius rei cœlestis cum terrestri, (3) quoad *communicationem* Christi, cum sacramentalem, tum spiritualem, *nobiscum*, sic tamen ut in hac simplicitate verborum Testamenti acqvierit sc. in *sanctissimo illo mysticoq; epule*

Tttt

epule



*epulo, unà cum vero pane & vino adesse, & à communicantibus ore corporis sumi, verum corpus, & verum sanguinem Domini nostri Jesu Christi, & quidem, ex intentione divinâ, ordinatâ, & gratiosâ, omnib9 communicantibus, in salutē, et si ex accidenti s. ob defectū fidei, actu ipso quibusdam in reatum s. condemnationē.*

§. 3. Ex præsentia illâ reali ipsius substantiæ Corporis & Sanguinis Jesu Christi in cœnâ, *mutationem* quidem Symbolorum panis & vini agnovere Patres: Ceterum, non essentialem, quæq; illorum substantiam destrueret: sed sacramentalem, quæq; non in Symbolo visibili subsistendum, & prout ceteroq; si, sive propriè & physicè, *in regno potentia*, sive metaphoricè, extra S. cœnam, *in regno gratia*, Panis & Vinum alimonie sive naturalis vel corporalis sunt media, sive spiritualis esse possunt emblemata, vel significativa, utrumq; illud considerandum moneret: sed ad principale illud, quod in S. Cœnâ non videtur, & extra quod præsentissimum, non foret hæc N. T. Sacramentum, animos communicantium attolleret, & cum illo pane, ipsum *Corpus Jesu Christi, quod pro nobis in arâ crucis traditum*, cum vino, ipsum *sanguinem Jesu Christi, verè unicum*, verèq; ad eò *presens* in terris, ubicunq; sacra cœna sumitur, & verè manducari, & bibi, ore corporis, vi verborum institutionis & promissionis, ostenderet. Quin & ubi de *Sacramentali illa Corporis & Sanguinis Christi* communionione agunt Patres, ut plurimum quidem considerant illam, ut *in usu salutari*, s. quatenus ex intentione Testatoris & naturâ promissionis de remissione peccatorum, quæ sumtioni ab instituyente annexa est, ad salutarem fructum ex sumtione s. communionione illâ sacramentali consequendum, requiritur FIDES, ipsum corpus & sanguinem Christi modo spirituali, ipsiq; communicanti salutari apprehendens, sic ut doceant, pignus, tesseram, & *σφραγίδα*, vel symbolum nostræ spiritualis cum Christo unio;

unionis, non esse corporeum & oralem esum ac potum panis & vini, cui, non nisi *χρῆμῶς*, relativè & imaginativè tantùm præsens sit corpus & sanguis Christi: sed esse illam, communionē ipsius substantiæ corporis & sanguinis Christi, quò mediante, remissio peccatorum, & spiritualis unio cum Christo, ipseque sic influxus gratiæ Christi, credentibus in Sacramento confirmetur, ut tamen non negent, effectum functionis Eucharisticæ formalem & *universalem*, quoad omnes communicantes, communionem sc. sacramentalem *Corporis & Sanguinis Jesu Christi*, nec agnoscant: omnem communicationem Christi in hoc Sacramento esse salutarem: nullam exitialem.

§. 4. Clarissimè Irenæus, Eucharistiam ex *Diabius rebus* constare profitetur, *terrenâ* (Panc & Vino) & *cælesti* (Corpore & Sanguine Christi) Neque aliter Antecessores ejus, usque adeo, ut non saltem Justinus illam *εὐχαρισθησίαν τροφὴν, τοῦ σαρκωπονηθέντος* Ἰησοῦ καὶ σάρκα καὶ αἷμα εἶναι s. *panem & vinum illud benedictum JESU incarnati carnem & sanguinem esse*, agnoverit: sed & Ignatius hæreticis tribuerit, non confiteri *Eucharistiam esse Carnem & Sanguinem Servatoris nostri Jesu Christi*. Apertè non minùs Patres Nicæni in Diatypos. Eccles. n. 5. cujus titulus apud Gelas. Cyzic. est *ἐπὶ τῆς θείας τροπέζης, καὶ τοῦ ἐπὶ αὐτῆς μυστηρίου τῶν σώματῶν, καὶ τοῦ αἵματῶν τοῦ χριστοῦ* s. *de divinâ mensâ, & de eo, quod in ipsâ est, mysterio corporis & sanguinis Christi*: *Επὶ τῆς θείας τροπέζης, μὴ τῶ προκειμένῳ ἄρτῳ καὶ τῷ ποτηρίῳ ταπεινῶς προσέχωμεν· ἀλλὰ ὑψώσαντες ἡμῶν τὴν διάνοιαν, πίσει νοήσωμεν καὶ οὕτως τῆς ἱερᾶς ὀκνήτης τροπέζης, τὸν ἀμνὸν θεοῦ, τὸν ἀρόντα τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου ἀθύτως ὑπὸ τῶν ἱερέων θυόμενον, καὶ τὸ τίμιον αὐτοῦ σώμα, καὶ αἷμα ἀληθῶς λαμβάνοντες ἡμᾶς πιστεύειν, ταῦτα εἶναι τῆς ἡμετέρας ἀναστάσεως σύμβολα. ἀλλὰ τοῦτο οὐδὲ οὐτε πολὺ λαμβάνομεν· ἀλλ' ὀλίγον, ἵνα γινώσκῃ οὐκ εἰς πλεημοσίαν· ἀλλ' εἰς ἀγιασμόν* i. e. *In divinâ hęc mensâ, non humiliter intenti simus ad PANEM & PO-*  
Tit 2  
CULUM

CULUM propositum: sed attollentes mentem, fide intelligamus, situm in sacra illa mensa Agnum illum Dei tollentem peccata mundi, incruentè à Sacerdotibus immolatum, & pretiosum ipsius CORPUS & SANGINEM, VERE sumentes, credere hac esse nostra resurrectionis Symbola. Propter hoc enim neq; multum accipimus: sed parum, ut sciamus, quod non ad saturitatem: sed ad sanctimoniam sumamus.

§. 5. Ita Cyrillus Catech. mystag. 5. Cum Christus ipse sic affirmet, atq; dicat de pane: HOC EST CORPUS MEUM, & de Calice: Hoc est sanguis meus, quis deinceps ausit dubitare & dicere: Non esse illius Corpus & Sanguinem? Quid aquam mutavit in vinum sanguini propinquum, non sit dignus, cui credamus, quod vinum in sanguinem transmutavit? Quare omni cum certitudine Corpus & Sanguinem Christi sumamus. Nam sub specie panis datur tibi Corpus, & sub specie Vini, Sanguis Christi, ut sumto corpore & sanguine Christi efficiaris ei comparticeps corporis & sanguinis. Quin expressè Theodoretus dial. 1. Panem, inquit, facit CORPUS (ὅν τὴν φύσιν μεταβαλὼν ἀλλὰ τῆ φύσει τὴν χάριν ὑπεθετικῶς s.) non naturam panis transmutando: sed natura gratiam apponendo, qui idem Dial. 2. Licet, inquit, Symbola mystica, post sanctificationem, sint corpus & sanguis Christi, tamen non recedunt à suà naturà: sed manent in priore substantia, & figurà & formà, ut videri & tangi possint, sicut & prius. Ita eodem seculo Gelasius Rom. 1. cont. Eutych. & Nestor. Sacramenta, quæ sumimus, Corporis & Sanguinis Christi, divina res sunt, unde & per eadem divina confortes efficimur naturæ. Et tamen esse non desinit SUBSTANTIA vel natura panis & vini, qui idem, quomodo pro communione sub utraq; contra quosdam Antichristi Romani prodromos, πρὸς ἕτιον illud ἀνομιὰς jam tunc introducturos, Zelotafuerit, & qui contra institutionem Testatoris θεαυθῶν σου sumit à tantummodò corporis sacri portione, à calice sacre cœne abstinebant, jussu-

rit, aut integra Sacramenta percipere, aut ab integris arceri, quoniam *DIVISIO UNIUS EJUSDEMQUE MYSTERII sine GRAN- DISACRILEGIO* provenire non possit, vid. in ipso Jure Pontif. de consecr. c. comperimus.

§. 6. Agnoverat jam ante Theodoretum, Hilarius Pi- ctav. de Veritate Corporis & Sanguinis per apertissimam Domini professionem, non esse relictum ambigendi locum, nec minus B. Am- brosius l. 4. de Sacr. Cum ipse *DOMINUS* Jesus testificetur nobis, quod *VERUM* ejus *CORPUS* & *VERUM* ejus *SANGVINEM* accipia- mus, de ejus fide & testificatione nequaquam dubitandum, quoniam idem, æquè ac Antecessor Cyprianus, & coævi, nec minus longo ordi- ne secuti Patres, unionem sacramentalē per *σύνκρισιν* Theolo- gicā cum sublīmi personali, qualis habetur ex illo *ὁμολογουμένως* magno pietatis mysterio 1. Tim. c. 3, 16. explicando, sic ut, quā- verè in Christo sint *duæ natura*, tam verè in sacramento *duæ res* vel *substantiæ*, una terrena sc. *Panis & Vinū*, altera cœlestis, *Corpus & Sanguis Christi*, & prout in Christo, licet sola natura huma- na fuerit *visibilis & visa*, reverà tamen (unionē imperscruta- bili adfuerit sc. prout loquuntur) *latuerit* divinitas, velut nec *visa*, nec *visibilis*: ita in Sacramento detur & Elementum, quod *videatur*, & res cœlestis (*Corpus & Sanguis Christi*, quæ etsi verè ipsā substantiā præsens, tamen non *videatur*: sed *credatur*, quicquid; & in hâc unionē ac communicationē, & in ipsâ unius e- jusdemque numero corporis præsentia in omnibus locis, ubi S. Cœna celebratur, mysterium religiosâ venerationē admirari, quā scrutari maluerunt, fortissimè pro illâ, quæ in nostris Ec- clesiis defenditur, veritate *præsentia*, & *unionis ac comunions sacramentalis*, integraque sic sumtionē corporis Christi, *in, cum, & sub PANE*, & *Sanguinis Christi in, cum & sub VINO*, contra fu- turos sive transubstantiatores, & mutilatores Papistas, sive depeculatores Sacramenti Calvinistas & Anabaptistas, Zelo- tæ fuerint.

§. 7. Consonat pulchrè Chrysoſtomus hom. 29. in 1. ad Cor. *Chriſtus*, inquit, *omnibus Diſcipulis & CORPUS ex aqvo dedit*, dicens: *Accipite, comedite, & illum quidē calicem, in quem non brutorum: ſed proprium impoſuit ſanguinem, & ibidem paulò antea: Chriſtus neq; ipſum Judam cœnâ illâ ſanctâ expulit: ſed & ſale eum impertit, & ſacramentorum participem fecit* conf. p. 562. & 565. Agnovit adeo Chryſoſtomus, æqvè, ac ante hunc Gyprianus, & poſt illum, Auguſtinus, *Judâ primâ cœna interfuiſſe, &* licet nō ſpiritualiter, & ſalutariter, tamen ſacramentaliter *Corporis & Sanguinis Jeſu in primâ illâ cœnâ participem factum eſſe*, in ſigni argumento pro communionē ſacramentali Indignorū. Conſonat Aug. *Sicut*, inquit, *Judas cui bucellam tradidit Domino, non malū accipiendo: ſed malè accipiendo, locum in ſe Diabolo præbuit, ſic indignè quisq; ſumens Dominicum Sacramentū, non efficit, ut quia ipſe malus eſt, malum ſit, aut quia non ad ſalutem acceperit, nihil acceperit. CORPUS quippe DOMINI, & SANGVIS DOMINI, erat etiam illis quibus dicebat Apoſtolus: Qui edit & bibit indignè, Judicium ſibi edit & bibit, non diſcernens CORPUS DOMINI. I. Cor. II, 29.*

§. 8. Equidem Haimericus Abbati Aquitinenſi duriuscula olim viſa Auguſtini verba, in hom. Pf. 98. ubi ſic παραφραζα Sermonem Chriſti Joh. e. 6. *Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi eſtis, nec bibaturi illum Sanguinem, quem fuſuri ſunt illi, qui me crucifigent. Spiritualiter intelligite, quod locutus ſum. Sacramentum aliquod vobis commendavi. Spiritualiter intellectum, vivificabit vos. Et ſi neceſſe eſt illud viſibiliter celebrari, oportet tamen inviſibiliter intelligi. Ceterum non ibi ſervatori ſermo de verbis Inſtitutionis: ſed loco Joh. 6. v. 53. Illud quippe dictum Capernaitis durum viſum, quia dum carnaliter cogitaverunt, ſtultè illud acceperunt, putantes, quod Dominus præciſurus eſſet particulas quasdam de corpore ſuo, & daturus illis, undè dixerunt: *Durus eſt hic ſermo. Debuiffent ſc. potiùs intelligere, eſſe ibi aliquod**

Sacra-

*Sacramentum latens: quomodo, recedentibus illis, instruxit Dominus Apostolos v. 63. Et respondit jam olim seculo XI. Ivo Carnotensis Episcopus: Augustinus, id quod de altari sumimus, verum corpus esse negare non potest, cum hoc in plerisque tractatuum suorum locis evidenter affirmarit, e. c. Hoc accipite IN Pane, quod pendit in Cruce: Hoc accipite IN calice, quod profluxit ex latere, cui simile illud Chrysost. hom. 24. in 1. ad Cor. c. 10. τούτο τὸ ἐν ποτηρίῳ ὄν, ἐκείνο ἐστὶ τὸ διὰ τῆς πλευρᾶς ρεύσαν καὶ ἐκείνου μετέχομεν i. e. Hoc quod est in Calice, est illud ipsum, quod profluxit ex latere, & de illo participamus.) Sed & notavit, in S. cœnâ esse ipsum Christi corpus, materiali sc. essentiâ, & non esse ipsum sc. visibili formâ: ac urisit illa verba: Si necesse est visibiliter celebrari, necesse tamē est invisibiliter intelligi. Ipsi enim, qui recesserunt à Domino, putabant, quod carnes Domini viventis bestiali more essent in frustra scissuri, & aut elixas aut assas in veribus comesturi, quod si nolent, non possent esse ejus Discipuli. Nos autem sic immolatum Christum manducamus & bibimus, ut integrum eum ad dextram Patris manere credamus, & nec in partes scissum, nec eruentum ejus corpus fidelium ore percipiatur.*

§. 9. Familiare sanè, præter Tertull. l. 4. adv. Marcion. Patribus vel Scriptoribus Ecclesiasticis est, panem Eucharisticum appellare *Figuram corporis Christi*, sc. qui significet corpus Christi: ceterum nusquam meminerunt *TANTUM* esse figurâ, & quidem Corporis à S. Cœnâ absentis. Docuerunt, & rectè quidem, Christum proprietates humani corporis retinere, & proprietate adeo humanæ naturæ, suo corpore finitum, circumscriptum esse. Ceterum non docuerunt; *Corpus Christi propterea in usu S. Cœnâ à pane abesse, s. substantiam corporis Christi in pane, sanguinis in & cum vino, nequaquam realiter adesse, & sic nec corpus Christi in pane, nec sanguinem in vino realiter s. quoad rem ipsam s. substantiam ejus: sed sola signa, sumi ore corporis, illam autem solâ fide, vel ore fidei, quin adeo huic dogmati, inimici fuere,*

fuere, ut cum circa seculum nonum, præter, Joh. Erigenam  
 Scotum, Bertramus Presbyter illa scriberet, quæ à verâ illâ  
 & genuina Ecclesiæ Catholicæ sententiâ, de reali vel sub-  
 stantiali Corporis & Sanguinis Christi, in S. cœnâ præsentia, vel  
 phraseologiâ saltim, quâ Ecclesia in hoc mysterio fuerat usa,  
 exorbitarent, vel saltim exorbitare viderentur (cùm cetero-  
 qui, panem appellare figuram & imaginem corporis Christi, sc. non  
 absentis: sed præsentis, dicere item, Corpus Christi, non juxta pro-  
 prietatem humana nature: sed in mysterio, & sic mysticè esse præ-  
 sens, propter quam præsentiam & corporis Christi cum pane  
 sacramentalem unionem, panis sit Corpus Christi mysticè, eò  
 quod aliud exterius per figuram ostendat, aliud interius oculis  
 fidei representet, erroneum haut sit, nec à duplici consideratione  
 carnis Christi, unâ in mysterio, alterâ in proprietate humana na-  
 ture, ad duplicationem carnis Christi valeat illatio) durissimè in  
 hominem inveci, cùm alii, tum, qui præ ceteris, & facillè pri-  
 mus, contra Bertramus circa A. C. 820, de veritate corporis  
 & sanguinis Domini in Eucharistiâ, quam iste primus in dubium  
 vocasse videbatur, copiosè scribendo, calamum strinxit, Pascha-  
 sius Rathertus, Ord. Bened. Abbas Corbeiensis, prout longè  
 antea, contra, non saltem antiquos hæreticos, Hydroparastatas,  
 aqvam pro vino surrogantes, Encratitas, & Manichæos, à vino,  
 velut, juxta illos, abominabili, & peccantium potu, &, per hoc, à  
 calice Dominico, abhorrentes: sed & contra alios, etsi vinum  
 non abominantes, suo ramen quodam prætextu & affectu ab  
 illo, vel ipso calice vini Eucharistico abstinentes, contra Tincto-  
 res item s. sub prætextu compendii vel complementi com-  
 munionis, Eucharistiam, intincto in calicè pane, præbentes vel  
 sumentes, nec minùs contra sumtionis integri Sacramenti divi-  
 sores, sumto calice, particulam panis benedicti, etsi ex religio-  
 so erga Eucharistiam affectu, velut in casu inopinato morbi  
 vel

vel mortis periculi, ut sic in promptu esset, sumendam, aliquando secum asportantes & reservantes, acerrimè, armis & *πανωλίαι* ex institutione Dominicâ, velut seorsim panem, seorsim calicem, sumi præcipiente, & nec divisionem, nec tantam separationem ferente, præsumtis, fortissimè militarunt antiqui Patres, e. c. Cyprianus Aug. Leo I. Gelasius & alii, usq; adeò, ut si qui portione sacri calicis, & per hunc, *Dominici cruoris*, abstinerent, illos, illo ipso, velut caractere, de *Manichaismo* suspectos habuerit Leo I., & *grandis Sacrilegii* reos judicaverit, s. ex cathedra Pontificali, damnato illo errore, pronunciaverit *Gelasius*, uterq; seculo V. Episcopus s. Pontifex Romanus, & ne quidem illum *particularem abusum de Eucharistiâ*, vel *portione panis benedicti asportatâ & reservatâ* ( utcumq; aliquantisper videbatur toleratâ ) approbare voluerint : sed *decretis Synodicis* ( Concil. Tolet. I. & Cæsar August. ) abrogarint anathematique subjectis, *si qui integram Eucharistiam in Ecclesiâ non sumserint vel ibi non consumserint*, & causâ omni ad sacratissimam institutionem, velut agendorum hujus Sacramenti regulam revocatâ, pro illâ nullâ parte immutandâ ex verbis Servatoris Matth. 5, 19. argumentum advocarint, à minori ad majus : sc. *si, is qui solverit unum ex præceptis Domini minimis, & ita docuerit homines, minimus appellandus in regno cælorum*, quantò ipso minimo minor futurus, pluresq; plagas experturus, qui in ipsâ regulâ Sacramenti, ab ipso Domino JESU in illâ nocte, quâ traditus est, instituti, & tot ac tantis præcepti Verbis ( qualia sanè sunt non minùs : *Bibite*, quàm *Accipite*, *edite*, & illud : *HOC FACITE*, non minùs appositum *Calici*, quàm *pani* ) armati, immutare, & sic *docere* homines ausus fuerit.

§. 10. Itahabuit adusq; seculum XI, quod auspiciatus *Fulbertus ille Carnotensis*, cum alia, tum sequentia quoq; scripserat allegatis verbis Inst. & collato loco Joh. 6. *Nos Magistri auto-*

VVVV

ritate



ritate animati; dum Corpori & Sanguini ejus communicamus, audentes fatemur, nos in corpus illius transfundi, & ipsum in nobis manere. In nobis ipsum manere dico, non solum per concordiam voluntatis: sed & per natura unita veritatem. Si enim verè VERBUM CARO FACTUM & nos verè Verbum Carnem, cibo Dominico sumimus, quomodo non naturaliter ipsa natura veritate, Christus in nobis manere existimandus est, qui & naturam carnis nostra jam inseparabilem, sibi, homo natus assumpsit, & naturam carnis suae ad naturam aeternitatis sub Sacramento nobis communicanda carnis admiscuit.

§. II. Ex Scholâ illius S. Fulberti, cum alii seculo illo XI. processerunt, tum præcipuè Adelmanno, dein Episcopus Brixien-  
sis, tum Berengarius, Diaconus Andegavensis, quorum ille ad hunc, velut olim sub disciplinâ Fulberti, condiscipulum, scripsit Epistolam de veritate Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistiâ. Jacta paulò antea fuerant, Transsubstantiationis fundamenta, sive Lanfranco primò Cadoniensi in Normaniâ Abbati, Ord. Benedict. inde Cantuariensi Archiepiscopo, illa imputentur, sive jam inde, à Paschasio Ratberto ex seculo 9. illa deducantur, sic ut, cum hætenus, ad fidem, vel hujus professionem de hoc Sacramento, satis videretur, profiteri, panem & vinum in Eucharistiâ non esse nudam figuram & Sacramentum Corporis & Sanguinis: sed verum & substantiale corpus & sanguinem Jesu Christi, ut adeò nec sola Symbola s. panis & vinum: sed & ipsa substantia Corporis & Sanguinis verè & realiter in hoc Sacramento præsentis, sint objectum illius, sacramentalis quidem: ceterum, quæ tamen Ore fit, & omnibus communicantibus communis est, manducationis & bibitionis, jam specialis quoque induceretur, eademq; crassioris modi præsentia determinatio, (post consecrationem sc. Corpus & Sanguinem Christi, ita crassè adesse, ut abolitâ, vel in substantiam Corporis & Sanguinis

*gvinis Christi, conversâ panis & vini substantiâ, Corpus Christi immediatè ipsis manibus Sacerdotum tractetur, frangatur, fidelium dentibus atteratur, si quid alterutrius speciei casu quodam inopinato, per quendam inconsiderantiam sive Ministri dantis, sive ipsius accipientis communicantis, in terram cadat, ipsum Corpus Christi in terram projiciatur, ipse Sanguis Christi effundatur, conculcetur) atq; sic invehetur transubstantiatio.*

S. 12. Huic cum sese opposuisset Berengarius, ceterùm sic, ut dum illas procellas, quas secum ferebat transubstantiatio, horrescebat, oppositum nimis presserit litus iniquû, inde jam hoc XI. & sequenti seculo XII. accumulata sunt acta & scripta AntiBerengariana, cum *in concilio Romano*, sub Nicolao II. anno 1059. (in quo à CXIII. Episcopis, quos inter *Lanfrancus*, disputator tunc cum *Berengario*, hujus causa damnata, ipsi autem, velut iudicio adversæ partis hæresiarchæ, Palinodia injecto in ignem libro, quem scripserat, imperata, ejusdemque formula, *Berengario* petente, *Pontifice* mandante, ab *Humberto* gente non Burgundo: sed *Lotharingo*; munere, sylvæ candidæ, apud Siculos, Archiepiscopo, & R. Ecclesiæ Cardinali, conscripta) tum extra vel *post illud concilium*, quando, cum Palinodiam Palinodiæ scriberet, acerbissimè, cum in illam ab Humberto præscriptam, etsi à se subscriptam, Palinodiam, tum in ejus Autorem *Humbertum* invecus, Berengarius, adversus hunc, ejusque hæresin, & hoc ipso seculo undecimo integros libros de *veritate Corporis & Sanguinis Christi in Sacrosanctâ Eucharistia*, extantes etiam nunc partim in Micropresbytico, partim in Bibl. patrum, scripserunt Lanfrancus, Adelmanus, Gvitmundus Archi-Episcopus Aversanus R. E. Cardinalis, Ivo Carnotensis, & seculò sequenti Algerus, & quidem sic, ut iudicio *Petri Cluniacensis*, Lanfrancus scripserit de Sacramento

Eucharistia *benè, planè, perfectè*, Gvilmundus, melius, plenius,  
 perfectius, Algerus Monachus Cluniacensis, *optimè, planissimè,*  
*perfectissimè*, etli & Gvilmundo & Algero, errorem imputat  
 Bell. l. de S. E. sc. *species sacramentales non posse corrumpi* (i. putre-  
 scere, vel rodi à muribus: sed & postquam à Paschasio illo &  
 Lanfranco (hos enim autores allegat Berengarius) inducta  
 primitus erat illa sententia: *post consecrationem minimè su-*  
*peresse ampliùs in altari Panis & vini substantiam*, & sic invec-  
 ta *transsubstantiatio*, cum tamen non deessent ex Catholicis, qui  
 sic crederent *veram Corporis & Sangvinis Christi in Eucharistià*  
*prasentiam*, ut non minùs crederent, remanere in Sacramento  
 panis & vini substantiã, potuit & huic sententiæ, quantumvis  
 veræ & Catholicæ, e. c. à Gvilmundo, Transsubstantiationi ni-  
 miùm addicto, ex pravâ determinatione modi oppositi, affingi  
 hæresis *Impanationis*, vel localis Corporis Jesu Christi in pane  
 inclusionis (prout simile quid, cum ex ipsâ propositione do-  
 gmatis, tum ex illis in hymno verbis, *Verborgen im Brodt so*  
*klein* / nostris ab adversariã imputatur Ecclesiis, cum tamen,  
 prout in mysterio *unionis personalis*, ita & *sacramentalis*, absur-  
 dè sic inferatur, vid. sup. v. 6. & Vocabulum, *verborgen* / non  
 verbaliter: sed adverbialiter, in sensu *hymni* sumtum, *admi-*  
*randam illam, arcanam*, mysticæ hujus sacramentalis unionis, &  
 modi, velut ineffabilis & imperscrutabilis, rationem designet)  
 Ceterùm rectè cum *hæresis impanationis*, iudicio Algeri, nova,  
 suo demùm seculo exorta, & *absurdissima*, à Bellarmino imputa-  
 tur Ruperto Tuitiensi, qui *ὀυτως* Algeri docuerit: *Panem*  
*Eucharistia hypostaticè assumi à Verbo*, eo prorsus modo, quo *na-*  
*tura humana ab eodem assumta est*, sic ut, prout *Verbum æternum*  
*factū est Caro*, vel *Homo*, per incarnationem: ita & *in Sacramento*  
*Verbum fiat panis per consecrationem*, & sic panis per *veram impa-*  
*nationem*, *personaliter* sc. prout ibi *humanam naturam*: ita *hic pa-*  
nemo

nem assumendo, ut sic in Christo, quatenus consideratur in sacramento, duo quidem statuerit Corpora, unum humanum & carneum: alterum panaceum, sic tamen ut sint unum, sc. respectu suppositi s. Verbi, quod utriusque unum, Carni & Sangvini, quem assumpsit de Virgine, & pani ac vino, quod de altari assumpsit, medium interveniens, sursum (in caelo) in carne, & deorsum (in altari) existens in pane, unum sacrificium efficiat, quod cum in ora fidelium Sacerdos distribuit (ad illum enim in quo fides non est, praeter visibiles panis & vini species nihil de Sacramento pervenit) panis & vinum absumitur & transit, partus autem Virginis, cum unito sibi Verbo Patris, & in caelo, & hominibus (sc. non reipsa: sed per fidem) manet, vid. Rupert. l. 6. in Joh. l. 2. de div. off. c. 2. 9. Bellarm. l. 3. de Eucharist. c. 11. 15. Nihil illi haeresi commune cum nostrâ, eademque antiquâ & Catholica de hoc Sacramento sententiâ.

S. 13. Inventa sic *transsubstantiatio*, prout ab unâ parte Berengarium induxit, ut *charybden* illam vitans, in *Scyllam* incideret, & unâ cum modo crassiore & erroneo, veritatis *praesentia corporis & Sangvinis Christi* in S. Cœnâ mysterium abnegando, futuris *Sacramentariis*, Antecessor ipse, signum explicaret: ita ab alterâ (sub praetextu metuendæ profusionis) *invinctiorem*, etsi illo seculo *prohibitam*, certè Humberto, aliisque illius & sequioris seculi scriptoribus *improbatam*, & ex *agendis Institutionis* dein correctam) revocavit, vel saltem exculatiore reddidit, & plus ultra *mutilationi Sacramenti*, Laicorum aliis, ex commendatâ providâ observantia, & inculcatâ naturali, inter *corpus & Sangvinem Christi* concomitantia, simplicique sic *reverentiâ*, *Calice Domini cruoris* sponte abstinentibus, aliis, etsi ignorantia moraliter invincibili non laborantibus, *privatorem* tamen illam *calicis* (insidiosè exaggerato à Clericis hujus promiscuè communicandi periculo) patientibus, magis atque magis, in Ecclesiâ Romanâ, viam stravit (sic ut illa seculo circiter

ter XII. pronata, XIII. aucta, post emergentes tunc, in Galliâ, *Albigenses*, in Angliâ *Wiceliffas*, in Bohemia *Hussitas*, & adeo seculo XIV. & XV. adultam quasi ætatem adepta, decreto Constantiensi anno 1415. d. 15. Junii publicato, & *Johannis HUSSI*, d. 6. Julii, & anno vertente, *Hieronimi Pragensis*, Martyrum vivicomburio, fuerit roborata, altera autē communio, pro quâ stabat & *Institutio Christi*, & *preceptum*, & *canæ*, venerandæq; *antiquitatis*, imo & *mediæ ætatis*, *praxis* & *exemplum*, sive *explosa*, sive *deinceps* eodem seculo XV. in Basiliensi, & seculo XVI. in Tridentino, nonnisi sub impossibilib; moraliter, inq; foro veritatis & conscientiæ contradictoriis & reclamantibus conditionibus permilla à Pontificibus fuerit) & tandem S. Cœnam in sacrificium *verè* & *propriè* sic dictum, ac *propitiatorium pro vivis & defunctis*, quotidiè à Sacerdotibus (quales per illud: HOC FACITE! à Christo *instituti sunt Apostoli*) offerendum commutavit, ac *Mislas ἀνομιαντος* totamq; illam *Draconis caudam*, de quâ vid. Luth. in art. Smalc. art. 2. de *misâ* abortivit.

§. 14. Neq; tamen illa pars, quæ pro *veritate præsentia Corporis & Sanguinis Jesu Christi*, fortissimè militare videbatur, illi, quam apponebat, *transsubstantiationis*, verrucæ, vel per *consectaria* hujus (illam sc. in *Evcharistiâ* Sacrificii proprii, & Sacramenti distinctionis, & sub utraq; quidem *Sacrificationis*, ceterum, sub unâ saltim, *sacramentalis communionis* hypothesein,) adnato tuberi potius, ita securum iter sternere potuit, ut non (ex quo, in hoc dogmate semel à regiâ exorbitatum, ipsaq; prævalida alicubi, professioni & praxi, ex institutione, & in hac *Imperativis*, Testatoris submississimè mensurandæ pariter ac reverenter habendæ veritatis, secula, inde ab XI. occupavit, vel in orbe Romano per illa decurrit, prava superstitio,) sub illâ ipsâ, in quam magis magisq; itum nocte, in illis ipsis castris, ex quibus vel maximè emittebantur, et si levis armaturæ milites,

lites, genuinum Institutionis sensum oppugnantes, superfuerint hinc inde Veritatis, sive ex toto sive ex parte confessores.

§. 15. Ut enim ad propiores 3. numeros, in quos contraximus errores principes illius partis, quæ per crassiorum modi determinationem in excessu peccat, ab ipso capite exorssi causam revocemus, non saltim suam illam *transsubstantiationem* (sive *productivam* sive *adductivam*, quam posteriorem solum admittit Bellarminus l. 3. de Evch. c. 18.) nullâ solidâ consequentiâ, ex verbis institutionis, deduci agnoverunt adhuc seculo 14. *Scotus*, *Durandus Episcopus Meldensis*, *Petrus Paludanus*, Patriarcha Hierosol. *Thomas Argentinus*. Seculo 15. *Petrus ab Alliaco*, *Cambracensis Episcopus Cardinalis*, *Gabriel Biel*, *Picus Mirandulanus*, seculo 16. *Thomas de Vio Card. Cajetanus*, *Petrus à Soto*: sed & illo ipso proximo nobis seculo Joh. Anton. Pandosus Cosentinus, Romæ circa an. 1634. edito, & censurâ Magistri Palatii approbato Opusculo de S. Cœnâ, non obstante, quod quidam sacri Doctores tenerent, *Christi Corpus, nisi panis converteretur in illud, non posse esse in Sacramento, & adeo veritas verborum: HOC EST CORPUS MEUM, non salvari, si substantia panis remaneret, & non converteretur in Christi Corpus*, opposuit rationes in contrarium, sc. i. quod, cum à Christo proflexerit hoc Sacramentum, nulla tamen in ipsâ institutione facta fuerit mentio talis conversionis, s. *transsubstantiationis*. 2. quod illa enunciatio Christi (*Accipite, edite!*) *HOC EST CORPUS MEUM*, etiamsi panis substantia remaneret, non esset propositio falsa: sed vera. 3. quippe, cum in predicato non magis exprimentur *accidentia panis*, quam ejusdem *substantia* (nec enim magis dicitur *HOC EST CORPUS MEUM*, & *accidentia panis*, quam: *HOC EST CORPUS MEUM ET PANIS*) Si ergo propterea non remaneat panis substantia, quia in predicato non exprimitur panis, non remansura quoque panis accidentia, quia  
& hoc

nec horum in prædicato mentio, & adeo, prout, non obstante, in prædicato, solius CORPORIS mentione, remaneant *accidentia*, ita quoq; remanere possit *ipsa panis substantia*, & sic, hæc salvâ, monstrari æqvè in *prædicato*, *contentum sub pane*, quàm *contentū sub accidentibus*. 4. Quod nulla ostendatur repugnantia, quare Deus non possit facere Corpus Christi præsens speciebus panis, etiam remanente substantiâ panis, æqvè ac solis speciebus panis? ut ita Corpus Christi sit præsens in Sacramento, & tamen non per conversionem panis, nec præsentia illa per se terminus conversionis substantia. Concludit: Nec probabile sibi videri, nec valde tutum, veritatem Sacramenti salvare solâ conversione panis, & asserere, sine hac illam salvari non posse.

§. 16. Scilicet, si 1. & ante illud *ἰδομεν* sacramentale adfuit *verus panis*, & 2. à Servatore acceptus est *verus panis*, si 3. talis, sine ullâ *frustratione vel fallaciâ sensuum*, oculis Apostolorum objectus, si 4. post pronunciata consecrationis verba, *fractus*, & in partes divisus est *verus panis*, si 5. ubi jam Servator dans dixit Apostolis: *Accipite, edite! HOC EST CORPUS MEUM*, in illo *ἰδομεν*, dum jam ex illâ Angelis ipsis admirandâ NOVOq; Testamento propriâ *datione*, ab Apostolis accipitur, & oculis horum usurpatur, & lingvis gustatur, est *verus panis*, si 6. nulla hic intercescit *indicina conversionis talis*, vel *transubstantiati panis*, si 7. verba illa Salvatoris: *HOC EST CORPUS MEUM*, de *ἰδομεν* vel porrecto illo sacramentali, salvâ substantiâ panis, legitimari possunt, sic ut ex negatione expressæ mentionis *Panis* in prædicato, ad abolitionem substantiæ panis non valeat illatio, si 8. ab Apostolo, in illo ipso instanti *dispensationis sacramentalis*, dum *editur* sacramentaliter, toties appellatur *panis* (1. Cor. 10, 16. c. 11, 26. 27. 28) sic ut non saltim in sensu diviso: sed & composito, *nominetur panis*. Si 9. nulla conversio fit in id, quod jam est, multò minus, quod in  
summa

summâ suâ perfectione, (prout corpus Christi in infinitâ subsistentiâ est) utiq; didōmevov illud Sacramentale non est ESSENTIALITER tantum Corpus Christi, nec ipse Panis, Corpus Christi per essentialem in Carnem Christi transmutationem (eadem ratio actus posterioris mystici hujus epuli, in quo adeo non fuerint nuda accidentia Vini: sed, & secundum id, quod in sensu incurrit, vinum verum, æquè ac panis, per consecrationem è regno potentia ad regnum gratia elevatum s. ad sublimiorem usum segregatum: secundum id autem, quod in sensu non incurrit, pretiosissimus agni immaculati sanguis.)

§. 17. Ita, licet invecitâ transsubstantiatione, invehertur, cumq; illâ invalescente invalesceret, Calicis, in commutatione imprimis plebis, abolitio, usq; adeo tamen eodem seculo XI. præcipuis Doctoribus e. c. Lanfranco, Humberto, Gvidoni Aretino s. Micrologo, & seculo 12. Hildeberto, ex Cenomanensi Episcopo facto Archiepiscopo Turonensi, Gratiano item agnoscenti, in communicatione hâc, Sangvinem de calice in Ora fidelium fundi, improbata illa, ut ne quidem renascent è tunc intinctionem s. Eucharistia, intincto in calicem pane, communicationem ferre voluerint, nedum, communionem sive sub unâ, sive sub utraq; adiaphoram habuerint: sed ad reverendam illam Angelis & hominibus institutionem (verba sunt Humberti sylvæ candidæ Episcopi) quam sancta Sion, prima sc. Ecclesia, usq; ad illa tempora, sicut ab Apostolis accepit fideliter retinuerit, cuncta revocarint.

§. 18. Quin & seculo XIII. Scholasticorum primicerii, Alexander Alenis, Bonaventura, Thomas, sumtionem sub utraq; non saltem majoris efficacia & virtutis: sed & de perfectione Sacramenti habuerunt, sic ut adempto calice non maneat integra ratio Sacramenti, & illud, quod communiter à Papistis hodiè obvertitur, de concomitantia naturali, quæ sit inter corpus



pus & Sangvinem Christi, argumentum, jam tunc occupaverit, docteq; diluerit Alex. Alensis, juxta quem, qui sive denegato, sive per ignorantiam moraliter invincibilem, non requisito calice, sub unâ communicaret, perfectè quidem acciperet, quantum ad concomitantem *spiritualem sumtionem*, ceterùm nequaquam, quantum ad *sacramentalem*, cum totus Christus non contineatur sub utraq; specie sacramentaliter: sed Corpus in pane, Sanguis in calice.

§. 19. Nec minùs superiore adhuc seculo à Ruardo Lovanienti agnitum: *Communione sub utraq; ad integritatem Sacramenti requiri, ac institutioni Christi, & exemplum Christi, tum Apostolorum, & patrum primitiva Ecclesie quin & reliquis omnibus Ecclesiis omnium nationum, Græcis, Ruthenis, Armeniis, Ethiopibus &c. consonare, à Cassandro autem, communionem sub utraq; non esse rem suâ naturâ adiaphoram, illam sub unâ, non carere errore, sub unâ quidem specie esse totum Christum: sed non totum integrale Sacramentum, nec solùm peccare, qui aliter ministrant: sed & qui aliter accipiendo celebrent, sic ut præstet ad tempus abstinere, quàm indignâ vel sacrilegâ etiam sumtionem mensam Domini profanare, imò (ubi vi denegatur calix) Christianum obligari potius ad omittendum, quàm contra mandatum & institutionem Christi communicandum: sed & Gvil. Lindanus in Confess. de utraq; agnovit, per occidentem populo utramq; speciem ministratam ad usq; proximum Constantiensi Synodo seculum, ita ut deum ante annos 150. à suâ etate invaluerit communio sub unâ, quàm proinde calicis restitutionem & sic sub utraq; communicationem, quomodo ex communi sensu & gustu populi Christiani non solùm ante duo secula Husitæ Bohemi in Synodo Basileensi: sed & superiori seculo, in Tridentinò Ferdinandus I. pro suis Austriacis, Albertus pro suis Bavaris requisiverint, quin &, cum illi, tum Maximil. II. glorios. record. Cæsar subditis suis restituerint, ex propiorum seculorum historiâ liquido constare poterit.*

§. 20.

§. 20. Ita, quod Tridentini sub Anathemate credendum decernunt, in *Missâ* sub speciebus panis & Vini, offerri Deo Patri verum & proprium verèq; & propriè propitiatorium sacrificium, Corporis & Sanguinis Jesu Christi pro vivis & defunctis, quodq; eâ sine sacrificandi, Apostolos N. T. Sacerdotes constituerit, sacramentum illis, ut Sacerdotibus, sub utraq; sumendum præbuerit, & ut cum illi, tum eorū in Sacerdotio successores sic offerrent, præceperit per illa verba: *HOC FACITE* in mei commerationem, prout semper Ecclesia Catholica intellexerit & docuerit (vid. Syn. Tr. sess. 22. cap. 1. & can. 1. & 2. non tantum clarissimis verbis institutionis, naturæ nobi cum Testamenti, tum Sacerdotii (de cujus ratione formali est *unitas numerica actus sacrificandi*) totiq; reclamat antiquitati: sed & ne ipsi quidem, sive in Comitibus Augustanis an. 1530. in præsentia Principum, sive in Colonienſi Synodo, sexto post exhibitam illam anno, celebratâ, collocutores Papistæ (ex quibus ibi eminuerunt *Eccius & Cochleus*, hic *Johannes Gropperus*) illo rigore, quo deinceps Capitulum & Canon ille Tridentinus defenderunt sacrificium Missæ, velut contenti tali, quam sibi dari postularunt professionis formulâ: *Christum oblatum esse in agno Paschali V. T. figuratè (typicè, in cruce, passibiliter, ubi revera se ipsum obtulit Deo patri pro peccatis mundi, in Missâ quotidie offerri mysteriatè & representatè, in memoriâ suâ passionis & oblationis semel in cruce facta, ut sic Missa non sit revera victima: sed memorialis saltem & representativa.*

§. 21. Quænam autem & ubi illa Ecclesia Catholica, quæ ita semper de illo Sacrificio docuerit & illa verba: *HOC FACITE*, per *sacrificate* intellexerit? Nullus unquam omnium veterum in *Lucam & Paulum* (soli enim illi duo & uterq; quidem in primo actu cœnæ, et si solus *Paulus* in actu secundo communicati calicis expressere illa verba *Servatoris* 1. Cor. 11, 23, 24.) commentatorum, imò vix ullus sive 1. sive 2. sive 3. atatis sub re-

gno Scholasticorum ante Tridentinorum, tale quid vidit vel agnovit in illis verbis Servatoris, *insolentissima insania* sit, illam sententiam *Ecclesia Catholica* imputare, & majore impudentiâ asserere, *quod semper ita intellexerit*. Tantum ergo portentum parturiit Tridentina Synodus, quod tamen, utut autoritate Synodicâ roboratum, Gulielmo Estio, *Acad. Duacena Theologo & Cancellario* non ab omni parte probatû Comm. in 4. sentent. Quod, inquit *nonnulli Neoterici vim faciendam putant in Verbo FACITE, quasi idem sit quod SACRIFICATE, nobis parum solidum videtur, nec apud VETERES Interpretes ea expositio, USQUAM reperitur, nec proposito convenit. Non enim absolute dicitur: FACITE: sed HOC FACITE i. e. quod à me & à vobis nunc factum est, deinceps Vos & vestri successores FACITE in mei memoriam. Et Paulus 1. ad Cor. II. hoc FACITE etiam ad plebem refert edentem & bibentem de hoc Sacramento, quando ait: HOC FACITE, quotiescunq; bibetis in meam commemorationem. Quotiescunq; enim MANDUCABITIS panem hunc, & BIBETIS hunc calicem, mortem Domini annuntiabitis, in quibus sententiis manifestum est, FACERE non idem esse quod SACRIFICARE: sed consuetam retinere significationem.*

§. 22. Ne tamen offendere videretur Tridentinos, cum ibi, tum in commentario ad 1. Cor. c. II. non negare quidem voluit, *Apostolos tunc constitutos Sacerdotes & sacrificare JUSSOS: sed saltém, tale quid significatum literali sensu verbi FACITE, ut de cetero, per consequentiâ illud inde inferri, vehementer persuadere laboraverit sc. quia Christus illis verbis, Apostolos id facere deinceps, jufferat, quod & ipse & ipsi fecerunt, ipse autem sine dubio ita sacrificaverat, proinde & illis, ut dein Sacerdotibus mandari, ut ita sacrificent, & sic faciant, quod tunc Christus. Ceterum sic sacrificium idemq; proprium, propitiatorium, ex his verbis non probatur: sed velut jam concessum, à Christo tunc per-*

peractum, nec minus ab *Apostolis* sic & *intellectum & observatum*, per illud: SINE DUBIO supponitur, ut taceamus nunc Papatum hic *εαυτονομίω πούμενον*. Si enim propter *concomitantiam naturalem*, sub unâ communicatur integrum sacramentum, quare non & sub unâ celebratur *sacrificium*? Vel si, non obstante illâ *concomitantia*, sub utraq; sacrificandum, quare & ibi, non obstante illâ, non sub utraq; communicandum, cum & juxta illos *representatio passionis & mortis Christi* detur in Sacramento. Si propterea Laicos non obligat *mandatum bibendi de calice Domini crucis*, quia illud HOC FACITE dictum est *Apostolis ut Sacerdotibus*, E. communio calicis obligat non saltim Sacerdotes conficientes: sed & non conficientes s. *consecrantes*, quales sanè tunc erant Apostoli. Nec majus in antiquitate robur illis, quæ Sess. 22. can. 5. 6. 8. habentur de MISSIS *solitariis* s. *privatis* (de quarum antiquitate consulti olim à potentissimo Saxonie Electore FRIDERICO gl. record. Theologi Witebergenses, eodem, quo illas *ἀκωνότητος* abrogarant an. 1522, responderunt: paulò ante 200. annos invaluisse vid. tom. 2. op. Lat. Luth. p. 470, 476. & de illis Judicium Georgii Wicellii in Libro inscripto: VIA REGIA) Missis item in *honorem sanctorum*, ipsoq; *Canone Missæ*.

§. 23. Ostendimus alibi, quomodo in antiquitate superiore ad usq; tempora Gregorii M. s. primordia seculi VII. in celeberrimis omnium sanctorum Patrum de hoc Sacramento s. loquentium, s. scribentium lingvis, fuerit quidem SACRIFICIUM: sed non tale *Papisticum* (s. *verè & propriè sacrificium idemq; propitiatorium*) fuerit MARTYRUM commemoratio: sed non illorum, ut intercessorum *invocatio*, nedum *Missarum votivarum* in honorem sanctorum *celebratio*: pro defunctis *oratio* & *oblatio*: sed non talis quæ supponeret *Purgatorium*, Formula Liturgiæ: sed nulla *compositionis Apostolica*, quæ nec una certa:

Xxxx 3

sed

sed & in *Oriente & Occidente* varia, nulla tamen talis, q̄ualis jam inde à temporibus Gregorii, sub titulo: *Canonis Missæ* excrevit præsens Romana, etsi nec olim in universo occidente Romano recepta, nec ipsi Gregorio Magno, habita velut Catholica totam Ecclesiam obligatura (unde & *Augustinum* Anglorum Apostolum anno 596. à Gregorio in Angliam missum, & dein à Virgilio Arelatensi ordinatum Episcopum non obligavit *Canon ille Romanus*, q̄vem tunc recens *aliquis Scholasticus composuerat*) Fuerit adeo quidem *Missæ*: sed non *Papistica*, fuerit *Canon Missæ*: ceterum non ille *Romanus*, q̄vi nec consonat illis, q̄væ sive sub *Apostolorum*, sive sub *antiquorum Patrum* nomine veneunt Liturgiis, sed si pauca *λείψανα* veteris Liturgiæ, etsi grande *hysteronproteron*, experta, exceperis, majore parte cadaver est, etsi, nec si consonaret illis, q̄væ sive sub *Petri, Jacobi, Matthæi, Marci, sive e. c. Basilii, Chrysofomi, Cyrilli* feruntur nomine, prout hæc sc. nunc habent, sive *Apostolicus* esset, sive *antiquus Catholicus*, cum illas quidem, *Apostolicas* prohibeat ingens *Anachronismus*, & ipse Confessor *Gregorius M.* has autem ipsa exemplorum Latinorū cum Græcis varietas, & lux natalis, q̄vam, si quis vel ex *Tridentino* Concilio, vel *Vaticano Romano*, vel *Parisiensium Perroniano* sine nubilis serenam in his literis expectaverit, parum *lucis* in his sacris ostenderit.

§. 24. Gratulandum eo nomine Ecclesiis nostris, q̄vod, prout inter *transsubstantiatores*, ac inde *mutilatores* ab unâ, & ab alterâ, sacramenti q̄voad rem cœlestē *evacuatores*, medium, *securumq̄, periculis* (à quibus nostros & ῥητὸν Testamentale absolvit, & ipsa prodigiosa Verborum Testamenti *ερεβλότης* & omni omnium horologiorum discrepantiâ major dissonantia, iter & legant, & constanter, cum in ipsa Verborum Testamenti interpretatione, tum in dogmatis de S. Cœnâ Catholici propo-

positione legerint, & repudiatis *Missis privatis*, *sacrificatio-*  
*nem* quoq; *Corporis & Sanguinis Christi* in S. Cœnâ negent & ne-  
 garint, ac tale, proprii veri; nominis *sacrificium* non nisi *uni-*  
*cum*, idemq; in arâ crucis plenè oblatum, ob extensivè & in-  
 tensivè *absolutissimum* valorem, *consumatissimū*, ac inde non nisi  
*numero unum & initerabile*, catholicè magno consensu agnove-  
 rint. De cetero, licet August. confessio consultò *sacrificii* voca-  
 bulo propter ambiguitatem abstinuerit, & in Colloquio Au-  
 gustano an. 1530. mense Augusto, septenos inter, autoritate  
 vel indultu Cæsaris habito, Collocutoribus usurpatum,  
 Luthero consulto, aliisq; absentibus, quibus ob causas no-  
 tas suspecta fuit mitior Philippi, Theologorum à nostrâ par-  
 te Collocutorum facilè primi sententia, minùs in hoc Sa-  
 cramento, *Sacrificii* vocabulum! (utcumq; cum addito supe-  
 riori vid. §. 20.) approbatum fuerit, rato expertoq; indolem  
 Papistarum, si quæ ipsi nobis concederent, vel alicubi de rigore re-  
 mitterent, *strictè, strictiùs, strictissime*: illa contrà, quæ nos ipsi  
*concessuri, largè, largiùs, largissime* interpretantium vel inter-  
 pretaturorum,

§. 25. Quia tamen nec per evidentiam tot ac tantorum  
 utriusq; N. T. locorum *Sacrificii* vocabulum amplissimè ad-  
 hibentium, in S. Cœna *Sacrificium* dari, simpliciter negare li-  
 cebat, nec sanctiorem antiquitatem, adeo de *Sacrificio*, in hoc  
 mysterio clamorosa, sive, temerè rejicere, sive ingenti præju-  
 dicio illam, ac si pro adversâ potiùs, quàm nostrâ parte milita-  
 ret, Papistis concedere, integrum nostris erat, proindè in Apo-  
 logiâ Confessionis Augustanæ, contra Papistas, in Confutati-  
 one, non saltem ex *Patribus*: sed & ex *Scripturis* loca accumu-  
 lantes, *ineptè, ad defensionem sui illius Sacrificii* Missatici *detor-*  
*quentes*, ἐλεγκτικῶς & accuratiùs, κρινόμενον illud de *Sacrificio* ex-  
 cutere, loca illa *Scripturæ & antiquitatis* à præjudiciis illis Pa-  
 pista-

pistarum vindicare, & quo tandem sensu *Sacrificium* in hoc negotio concedi posset, unà cum Paralogismo ignorationis elenchi in argumentis hinc Adversariorum notare, ipsa necessitas nostris dictabat, præmonito tamen illo, *Theologos rectè distinguere Sacramentum & Sacrificium*, item *reverà unicum tantum esse & fuisse in mundo Sacrificium propitiatorium*, idemq; *satisfactorium & pro culpâ & pœnâ*, videl. *solam mortem Christi*, allegatis locis Hebr. 10. 4. 10. If. 53. 10.

§. 26. Præter unicum illud actu numerico, *Propitiatorium verè Sacrificium*, ex Isaiâ & Epist. ad Hebræos liquidatum, observat Apologia, memorari & commendari in utraq; V. & N. T. scripturâ, e. c. *Sacrificium justitiæ* (&c. fidem, fiduciam in Domino Pl. 4. 6. Pl. 50. (51. 21.) *Sacrificium laudis* Pl. 49. (50, 14. 23.) *Sacrificia Spiritus fracti*, s. *cordis fracti & contriti* Psal. 50. (51, 19. 21.) *Sacrificia gratiarum actionis & prædicationis nominis divini* Pl. 115. (116, 17.) nec minùs, remoto nunc typo & cultu Levitico, in scripturis N. T. *credentes nominari Sacerdotium sanctum ad offerendum spirituales hostias acceptas DEO per Jesum Christum*, 1. Pet. 2, 5. illam *λογικὴν λατρείαν* N. T. appellari, *hostiam viventem, sanctam* Rom. 12, 1. requiri *Sacrificium iuge* s. *assiduè offerendum DEO Sacrificium laudis* i. e. *fructum labiorum celebrantium nomen ejus, victimas item beneficentiæ & communicati- onis* Hebr. 13. 15. 16. ipsam *prædicationem Evangelii*, & *bonos hujus fructus*, appellari *Sacrificium, hostiam DEO acceptam per fidem* Rom. 15. 16. quæ sint *sacrificia filiorum Levi*, h. e. *docentium in* N. T. de quibus ceterisq; quatenus *abrogatis cultibus Leviticis, merè spiritualia nova & munda futura erant, Sacrificiis & cultibus omnibus* N. T. *nec adeo solùm de Cœnâ Domini*, locutus olim Malachias petitis ex Scholâ *sacrificiali terminis fuerit* c. 1, 11. & c. 3, 3. Et per hæc, quæ sola nunc reliqua sint N. T. *Sacrificia Eucharistica*, etiam in Sacramento Eucharistico, considerata, usq; adeo

adeo nihil accrescere Papistarum causæ, ut potius hæc per illa in principali *apivomévo* ipsoq; capite plagam lethalem patiatur, graviter Apologia iudicavit.

§. 27. Si scilicet 1. usq; adeo nulla *Sacrificia Levitica* fuerunt ex opere operato remissionis peccatorum meritoria, s. culpæ & pœnæ expiatoria, ut potius abstracta à *Cultu spirituali interno, fide* imprimis in *Messiam promissum, ut hostiã & satisfacti- onem pro peccato*, & sic, cum hypothesi valoris spiritualis ex *opere operato* oblata, DEO fuerint abominabilia & detestata. Si 2. quæ ex illis fuerunt certo quodam modo, significativè sc. *reconciliationis politica* meritoria, sive typicè sic *propitiatoria*, illud habuerunt, respectivè ad unicum illud reverà ex opere operato, ex se & in se, *propitiatorium*, pro omni culpâ & pœnâ generis humani satisfactorium, *mortis Christi Sacrificium*, cuius velut *σάματα* illa fuerunt *umbra & imagines*, ac proinde, non ultra hoc in Cruce peragendum, duratura: sed cum Christo morituro moritura, & deinceps futura mortua, vel plus ultra etiam, à Christo ad *umbras* illas, *vel infirma & egena elementa redituris*, mortifera. E. 1. præter unicum illud idemq; absolutissimum *Sacrificium crucis*, non datur in Ecclesiâ N. T. veri propriiq; nominis *Sacrificium*, nedum tale, quod ex opere operato mereatur remissionem peccatorum, & sit satisfactorium pro culpâ & pœnâ, falsumq; adeo, *Missam ex opere operato* conferre gratiam, aut applicatam pro aliis non saltem præsentibus, sed & absentibus, nec saltem viventibus: sed & mortuis, *mereri remissionem peccatorum* mortalium vel venialium, culpæ & pœnæ. E. 3. Præter unicum illud *mortis Christi Sacrificium* non dantur in Ecclesiâ N. T. sacrificia, nisi analogicè sic dicta, sc. non *propitiatoria*: sed *Evcharistica*, illis Evcharisticis Leviticis umbratilibus figurata, sc. fidei, & ex hæc laudis, *gratiarum actionis, invocationis, Evangelii prædicationis, confessionis,*

Yyyy

Eleema-



*Elemosyna, afflictionis, totusq; ille cultus novi Testamenti, non qualis ille Leviticus, corporalis: sed spiritualis, qui est, iustitia fidei in corde, & fructus fidei, adoratio Patris, in Spiritu & veritate, omniaq; bona opera sanctorum: Ceterum, quae Sacrificia N. T. non sunt satisfactiones profaciendis, vel applicabiles pro aliis, sic ut eis mercantur remissionem peccatorum s. reconciliationem: sunt quippe à reconciliatis. E. 4. Papistæ multa hæc congerentes, imò infinita penè volumina edentes, ut probent, Missam esse Sacrificium, nec tamen ullam Sacrificii definitionem hæcenus patientes, quin distinctissimas Sacrificii species, Propitiatorium sc. & Eucharisticum, pessimè confundentes, imò arrepto ex scripturis vel Patribus vocabulo Sacrificii, huic pro lubitu sua somnia affingentes, committunt Paralogismum ignorationis Elenchi, cum νενομενου s. controversiæ status non sit, an sive in Missâ, sive ipsa Missa (certo modo) sit Sacrificium: sed an ex opere operato conferat gratiam, s. an sit tale Sacrificium, quod ex opere operato etiam applicatum pro aliis, mereatur eis remissionem culpæ (venialis & mortalis) & pœnæ? A Missâ quippe Sacrificio ad Missam tale Sacrificium, quæle describitur in Scholis Papistarum non V. C. Sed verum est prius. E. & posterius. Probatur minor quoad membrum 1. ex Jes. 1, 11. 13. Jer. 7, 22. 23. Pl. 40, 7. 8. Pl. 51, 18. & c. quoad 2. ex Gal. 4, 9. 10. Coloss. 2, 16. 17. Hebr. 10, 1. & seq. Joh. 19, 30. Hebr. 7, 11. 18. c. 8, 13. c. 9, 7. 8. & seq. Conf. Apol. conf. Aug. art. de Missâ.*

S. 28. Neq; saltim sic in Cœnâ Domini, omnibusq; aliis cultibus N. T. spiritualibus admittit Sacrificium: sed & facile patitur Missam appellari iuge Sacrificium novi Testamenti, quin falsissimam appellat criminationem, quod iuge Sacrificium aboleamus, quod potius fiat, ubi regnant Antiochi, s. sub regno Antichristi, in quo manifestus sit cultus Baaliticus h. e. abusus Missæ: Ceremoniam quippe, opus operatum, remissionis culpæ meritorium, pro pœnâ Satisfactorium, & illius, pro quo offer-

fertur, expiatorium s. propitiatorium, applicandum etiam mortuis in Purgatorio patientibus, fingere, eamq; publicè panarum & satisfactionum prætextu, ad sacrilegum questum conferre, est Corporis & Sanguinis Domini reatum inducere, Evangelium contaminare, usum Sacramentorum corrumpere, & saluberrimas promissiones de remissione culpa, de fide, ad vanissimas opiniones de satisfactionibus transferendo, **JUGE SACRIFICIUM EX ECCLESIA TOLLERE**, quod proinde non nos facimus: sed Papistæ. Concludit inde: *Cum & prædicationem Evangelii retineamus, & legitimum Sacramentorum usum, MANET APUD NOS JUGE SACRIFICIUM.*

§. 29. Quin non saltem non, ex illis concessis, Apologia C. A. emolumenti quicquam accrescere Papistis, & præjudicari nostris reputavit: sed & remoto opere operato nil quicquam periculi, si in ipsâ ceremoniâ sacramentali admittatur ratio Sacrificii: ceterum hoc cum salubri clausulâ: unde illa l. supra all. *Facile patimur, si quis hic velit complecti ceremoniam, MODO NON INTELLIGAT SOLAM CEREMONIAM.* Sicut enim inter Sacrificia LAUDIS complectimur prædicationem Verbi, juxta illud Pauli: *Sacrifico Evangelium Dei Rom. 15. 16.* ita laus s. gratiarum actio esse potest, ipsa sumtio Cœna Domini, & adeo inter illa referri Sacrificia, per quæ fit magnum nomen DOMINI, & paulò post: *Nos facile patimur Missam intelligi JUGE SACRIFICIUM, modò ut tota Missa intelligatur, h. e. Ceremonia cum prædicatione Evangelii, fide, invocatione, & gratiarum actione.* Nam HÆC simul conjuncta sunt **JUGE SACRIFICIUM** novi Testamenti, quia ceremonia propter hæc instituta, nec ab his divellenda est. Nec minùs eleganter ibidem ex Num. c. 28. à v. 3. ad 9. confert Apologia, **JUGE SACRIFICIUM V. T.** velut elegantem picturam totius cultus, ipsiusq; sic **JUGIS SACRIFICII N. T.** ut, prout in V. T. dabatur 1. agni crematio. 2. Li-

Yyyy 2

batio;

batio. 3. *Simile oblatio*, ita in N. T. dentur 1. quæ cremationi Agni respondeat mors Christi, 2. quæ libationi, Evangelij prædicatio, & per hanc ille particeps s. Sanguinis Agni inter credentes in toto mundo, aspersio, ac per hanc, sanctificatio. 3. quæ oblationi simile correspondeat, fides, invocatio & gratiarum actio in cordibus, ut adeo illius in V. T. *umbra*, in N. T. quærenda sit res significata.

§. 30. Ita Papistis præter loca Scripturæ, etiam Patrum testimonia, in scripto, Confutationis titulo, Cæs. Majestati exhibito, allegantibus, & inde, quod *Missam* Sacrificium appellarint, opus operatum *Missaticum* adstruere conantibus, respondet Apologia, antecedens concedendo, consequentiam negando. Ubi, inquit, leguntur hæc portentosa verborum apud Patres? qui apertè testantur, se de gratiarum actione loqui, ideoque vocant *Eucharistiam*. Et hinc extitit appellatio *εὐχαριστίας* in Ecclesiâ. SACRIFICIUM autè EVCHARISTICUM non meretur reconciliationem; sed fit à reconciliatis. Et hoc responsum in genere ad dicta Patrum, satis tuetur nos contra Adversarios!

§. 31. Peculiariter notat I. principalem finem vel usum hujus Sacramenti, eundemque cultum N. T. esse Commemorationem beneficiorum Christi, eorumque acceptionem per fidem, ut per illa, per terrefacta corda vivificentur, cui jam accedat & Sacrificium, conscientia sc. fide sic erecta, & ex terroribus liberata, serio gratias agit DEO, pro beneficio & passione Christi, & utitur ipsâ ceremoniam ad laudem Dei. Et ita, inquit, Ceremonia fit Sacrificium laudis, & notat, Patres de duplici effectu hinc loqui, uno Sacramenti, quorsum pertineat Consolatio conscientiarum, altero Sacrificij, quorsum pertineat gratiarum actio s. laus. II. Illud ex Actis c. XIII. 2. & jam olim, & nunc à Papistis objectum argumentum (ubi & ipse Erasmus voces, *λετουργουσαν αὐτῶν τῷ Κυρίῳ* interpretatus per, *sacrificantibus DOMINO*, unde  
 majore

majore licentia non saltem à Genere ad Speciem: sed & ad vitio-  
 sam Speciem, certè talem, quæ est ipsum κρινόμενον, argumenta-  
 tur Papismus, ac si nullum esset in Ecclesiâ munus præter sa-  
 crificandi actum, & quidē Sacrificium Missaticū ingeniosè diluit,  
 notans in illo paralogismum dictionis, cum illa vox non signifi-  
 cet propriè Sacrificium: sed potiùs publicum ministerium, pro quâ  
 suppositione vocis apud Græcos, & Demosthenem allegat,  
 cui, ἐκδεδικέναι τὰς λειτουργίας is dicitur, qui detrectat publica on-  
 era, & ex ff. de jure immuni, l. semper, illud: μὴ πᾶσῶν λειτουργιῶν  
 ἀφίσι τοὺς πατέρας ὁ τῶν τέκνων δεῖσμός, & decernit Imperator,  
 illum qui 16, liberos habet, ἀντὶ τῶν λειτουργιῶν s. liberum esse ab  
 oneribus vel muneribus publicis, ut sc. possit χολάζειν τῇ παιδοτε-  
 φία, ut adeo rectè reddatur: Ministerio fungentibus illis, sc. do-  
 cendi & prophetandi: fuisse quippe dicuntur non ἱερεῖς vel Sa-  
 cerdotes: sed προφήται καὶ διδάσκαλοι, unde pulchrè Chryso-  
 stomus ad l. alleg. Τί ἐστὶ λειτουργούντων, τουτέστι κηρυττόντων. Neq; ta-  
 mē negat Apologia illâ voce λειτουργεῖν, ibidem æquè intelligi  
 posse illud Ministerium sacramentale, quo sc. unus minister conse-  
 crans reliquo populo exhibet Corpus & Sanguinem Domini, sicut unus  
 Minister docens exhibet Evangelium populo, collatis locis 1. Cor.  
 4, 1. 2. Cor. 5, 20. Phil. 2, 25. (ubi, Epaphroditus appellatus  
 λειτουργός s. Minister necessitatis Pauli, certè intelligi non potest sa-  
 crificulus. Nec minùs III. excutit ridiculum Papistarum Ar-  
 gumentum ab Erymologiâ vocis Missa, eademq; spurriâ, cui, ex  
 hypothesi originationis vocabuli Hebraicæ, præfert illam  
 ex Deut. 16, 10. ubi in solemnè Pentecostali præcipitur πῶδι s.  
 voluntaria (quoad quantitatem) Collatio, prout non minùs, talis  
 quædam Collatio & sic Missa, primitiarum sc. obligabat die 2.  
 solemnè Paschalis conf. Lev. 23, 10. 15. Deut. 16, 9. quem morem  
 collationum initio retinuerint quoq; Christiani, sic ut convenientes  
 attulerint panes, vinum & alia, unde desumpta pars, quæ consecrare-

eur, abstractâ illa, reliquo distributo pauperibus; cum quo moretineri potuerit nomen collationum, sc. *Missæ*. Ita IV. notat *Missam* veteribus *Oblationem* dictam, ceterum non propter *Sacrificium* propriè sic dictum: sed propterea, quia ibi offeruntur orationes, gratiarum actiones, sic ut intelligatur totus ille cultus, prout *Ἡ ἑὸς χάρις* dicitur. In præsentia autem, quæstionem non esse de orationibus: sed propriè de Cœnâ Domini. An sc. in illâ detur vel illa sit talis oblatio, s. *Sacrificium*, & quidem propriè sic dictum.?

S. 32. Ita V. Adducit Græcum Canonem, qui multa quidem dicat de oblatione; sed palam ostendat se non loqui propriè de Corpore & Sanguine Domini: sed de toto cultu, de precibus & gratiarum actionibus, quas appellet *ἑὸς ἁναγκάτους* s. hostias incruentas, pro populo oblatas, & *λογικὴν καὶ ἀναγκάτους λατρείαν* s. rationalem & incruentum cultum, ut adeo iade nequaquam probetur *Sacrificatio* ipsius Corporis & Sanguinis Christi in S. Cœnâ. Porro VI. notat abusum *Missæ* Papiæ, quo Cœna Domini velut Sacramentum institutum ad recordationem & prædicationem inter vivos, transfertur ad mortuos, & quidem ad liberandas animas defunctorum à pœnis Purgatorii, & opponit: applicationem *Missæ* pro mortuis inutilem esse, & planè destitui omni autoritate *Scripturæ*.

S. 33. Ita VII. explicat, quo sensu intellecta & applicata oblatio pro mortuis in Canone Græco, sc. non tanquam satisfactio pro pœnis: sed tanquam gratiarum actio (quia sc. applicet illam pariter beatis omnibus Patriarchis, Prophetis, Apostolis, qui non sint in statu pœnali.) Imo Græcos loqui, non de solâ oblatione Corporis & Sanguinis Domini; sed de reliquis *Missæ* partibus, videl. orationibus & gratiarum actionibus, qualis oratio pro mortuis, appellata veteribus oblatio pro mortuis, ac licet inde à seculo 7. ulterius itum in applicatione Cœnæ Domini pro mortuis, tamen 1. illis opponendas clarissimas & certissimas scripturas. 2. Illorum quoque magnam esse dissimilitudinem. 3. Fuisse homines, labi & decipi potuisse. 4. Neque tamen illos veneres patrocinari adversariis de opere operato, adeo ut si reviviscerent, laturo essent, sua dicta prætexi læculentis mendaciis. Porro IIX. de ipsâ oratione pro mortuis, non ex instituto, positive: sed saltem in transcurso, & elenchicè

chticè pronunciat, sicut, objicientibus, in opposito A. C. scripto, Papistis, nos omnem oblationem pro mortuis negare, & sic, non cum antiqva Catholica: sed heresi Aeriāna, annulos coherentiae publicè ostendere, inq; ipso Aerio propterea damnato inq; hereticorum catalogum relato, quod negaverit in Missā oblationem fieri pro vivis & mortuis, notatos jam olim damnatosq; esse, ne, hāc occasione, à principali scopo nostri dimoveri se paterentur, inserat quidem Apologia paucula, de Oratione pro mortuis, quia & ex historia Ecclesiastica, & inde, collatione nostri dogmatis cum Aeriano, brevissimè remonstret: Falso adversarios citare damnationem Aerii, & quidem contra nos, & ex hāc occasione generaliter indolem describat Papistarum (cujus pra omnibus aliis specimen in Goliathismo, quem vocat, profligato, peculiariq; in illo fabricatione annulorum hereticorum, nuper edidit Sini-chius vid. l. alleg. à c. 47. adusq; c. 57.) Sape, inquit, hoc colore utuntur, allegant veteres haereses, & cum his falso comparant nostram causam, ut illā collatione praevalent nos, quod hoc ipso exemplo Aerii probat, qui teste Epiphanio, & ex hoc Augustino, eo nomine fuerit reprehensus, quod senserit, Orationes pro mortuis esse inuiles. Atq; nos memoriam pie defunctorum, in Ecclesiā, ipsasq; orationes pro mortuis, simpliciter, & eo modo, quo Aerius, non prohibemus, nec Aerio altius hīc egresso patrocinamur: neq; litigamus cum antiqvis Catholicis, oblationes δευτικὰς, ευχαριστικὰς s. orationes & gratiarum actiones, pro mortuis in missā afferentibus: sed cum Papistis haeresin manifestè pugnantem cum Prophetis, Apostolis, & sacris Patribus scelestè defendentibus. Status quippe controversiae tunc inter nostros & Papistas non erat de Oratione pro mortuis: sed de re longè graviore, sc. an Missa ex opere operato justificet, mereatur remissionem culpa & poena, etiam injustis, pro quibus applicatur, si non ponunt obicem, & sic ex opere operato sit applicanda pro mortuis? An soli Sacrificio Christi tribuendus sit hic honor, quod sit propitiatio, an par honor tribuendus, reliquis cultibus & Sacrificiis? Et adeo, ubi disputandum erat contra perniciosos errores, laedentes gloriam passionis Christi, & penitus obruentes doctrinam de justitia fidei, prolabi ad quaestionem de precibus pro mortuis & harum usu, atq; hic certi quid determinare, ἀνεγχομένων erat, unde satis tunc fuit, Apologiae, contra illam generalem imputationem Aerianismi, incidenter & in trans-cursu protestari, se ita simpliciter vel absolutè, prout factum ab Aerio, non prohibe-

prohibere vel palam damnare Orationem pro mortuis, & sic non Aërio patrocinari, contra veteres Cathólicos: sed cum veteribus Cathólicos, ut ut oblationis, Sacrificii jugis, hostiarum incurventarum vocabulis, alio sensu in hoc argumento usis, contra Pontificios, & eorum Sacrificium Missaticum ex opere operato, extra numerum communicantium etiam, nec vivis saltem: sed & mortuis applicatorium.

§. 34. Constat inde, quomodo nostri, superiore seculo, exhibitâ Augustanâ Confessione, pro asserenda illâ in Ep. ad Hebræos adeo decantata & N. T. propriâ (unitate numericâ actus sacrificandi, & sic non nisi unico & initerabili, novi Testamenti pariter, ac Sacerdotii, Sacrificio propitiatorio, eodemq; in arâ crucis consumatissimo, passionis sc. & mortis Christi, declinandâq; fortius iterabili illâ, quam Papatu induxerat, Sacrificatione Corporis & Sanguinis Christi Missatica, cruenti illius in Cruce peracti, non nudè commemorativâ: sed & sic representativâ, & applicativâ, ut illa sit verum & proprium N. T. Sacrificium, verèq; propitiatorium, non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus: sed & pro defunctis in Christo, nondum plene purgatis offerendum, consulto Sacrificii vocabulo, ceteroq; homonymo, & quo nec Christus in institutione, nec Apostoli sunt usi in descriptione vel hujus fidei articuli explicatione, in hac materiâ abstinendo, & non nisi Sacramentū Sacrificio contradistinctū hic agnoscendo, ac rursus, quum hâc ratione apostasia objiceretur ab Ecclesiâ veteri Catholica, vocabulis Sacrificii, oblationis, in hoc argumêto familiarissimè usâ, & hæresis imparetur Aëriana, opœorum illorum terminorum explicando, probeq; distingvendo, & sic quo respectu admitti illi possint, quo non, remonstrando, non positivè, sc. primitus illos inducendo: sed saltim permissivè, s. præviâ solidâ explicatione & distinctione, & adeo certo respectu & secundum quid, permitteado, Sacrificii & oblationis, Sacrificii, item, jugis, incurventi, vocabulis usi sint in hoc argumento, sic tamen ut providè caverint, ne per hæc, ex ampliatiōne terminorum illorum, cum Biblicâ, tum antiquorum scriptorum, Ecclesiasticâ, concessa, quicquam sive unico illi veroq; & proprio N. T. Sacrificio propitiatorio decederet, sive per inductam iterabilem Corporis & Sanguinis Christi, eademq; veram & propriam Sacrificationem, Papisimo accederet, nec Sacramentum hoc in propriè dictum Sacrificium transiret.

§. 35.

§. 35. Ita agnoscit quidem Apologia C. A. in *Missa* s. *Eucharistiâ* præsens esse & accipi illud ipsum Corpus, quod olim fuit in cruce sacrificatum, & illum ipsum Sangvinem, in arâ crucis in remissionem peccatorum pro nobis effusum, vel DEO oblatum, ut sic quod in cruce fuit materia Sacrificii, idem numero nunc quoque sit materia vel res cœlestis hujus Sacramenti, neque tamē agnoscit consequens inde, hodie, quando Sacra Cœna celebratur, corpus & sangvinem Christi materialiter sacrificari. Agnoscit, preces, elevationem mentis ad Deum, gratiarum actionem s. passionis & mortis Dominicæ Eucharisticam commemorationem, invocationem, & sic ipsius Corporis & Sangvinis Christi glorificati, in sacratissimâ hâc Cœnâ, peculiaris beneficii collatione præsentis, in illâ compositâ actione sacrâ, quæ suppositâ consecratione, distributione & sumptione constat, adorationem, ipsam fiducialem promissionis de remissione peccatorum ipsiusque sic corporis & sanguinis Christi spirituali modo apprehensionem, ipsam passionis Dominicæ olim in cruce sustentæ, sive mentalem, sive verbalem quoque; mediantibus, precibus ardentissimis, devotissimam revolutionem, & sic DEO Patri factam presentationem, confessionem, celebrationem, quoniam ipsam Cœnâ Dominicæ sumptionem s. ceremoniam, quæ est memoriale mortis Christi, etsi non solam: sed cum prædicatione, fide, invocatione & gratiarum actione omnibusque cultibus spiritualibus ad Eucharistiam pertinentibus conjunctam, esse & dici posse Sacrificium Eucharisticum s. laudis Sacrificium iuge, incruentum, & hostias spirituales & incruentas, & sic (sive generaliter ex amplitudine etymologiæ s. suppositionis Grammaticæ, sive metaphoricè, allegoricè, analogicè, spiritualiter, improprie) & in *Missa* esse Sacrificium, & ipsam *Missam* totam s. ὅλως consideratam, Sacrificium esse, non tamen agnoscit, ipsam consecrationem, distributionem s. sumptionem Cor-

ZZZZ

poris



poris & Sanguinis Dominici, Sacrificium Corporis & Sanguinis Christi esse, aut dici jure posse, nedum agnoscit, sive preces illas, quæ circa dispensationem Evcharistiæ fiunt, vim habere Deum propitiandi & placandi, sic ut eatenus in Missa sit vel esse possit *Sacrificium propitiatorium*. Non agnoscit in Evcharistiâ *typos, figuras, umbras* illius, quod in Cœnâ i. erat futurum, nunc jam factum, in *Sacrificio Crucis*, sic ut distinctis symbolicis, sive sacramentalibus actionibus, *fractione, passio, traditione Corporis & effusione Sanguinis in os communicantis*, illa in cruce facta, figurentur. Non agnoscit: *precarî Patrem per Filium ejusq; mortem*, in Evcharistiâ, i. in illâ mysticâ sumtione, idem esse, quod Christum pro VIVIS ET MORTUIS offerre.

§. 36. Graviter Hülsemannus in Brev. art. de S. Cœnâ, non saltim negat, dispensationem Corporis & Sanguinis Dominici, *Sacrificium Corporis & Sanguinis Dominici*, commemoratum saltem, in Apol. C. A. unquâ dictam esse, aut dici jure posse: sed & addit sequentia: *Alia preces sive dantis sive accipientis Sacramentum, quæ circa tractationem Evcharistiæ fiunt, sive sint dequæsis, καὶ προσευχῆ i. e. preces postulatoria, sive Evcharistica, vel etiâ homologetica, habent quidem ex peculiari, eaq; quantum ad DEI intentionem, gratiosâ presentia corporis & Sanguinis Christi, singulare incentivum devotionis, hic & nunc sese exserendi, Deoq; tam mente, quàm verbis & affectu representandi merita Filii, pro consequendis bonis, & temporalibus, & spiritualibus tam sibi quàm aliis: sed quod actione extrinsecus in oculos incurrente sc. fractione panis & effusione vini, ex instituto Christi, passio ejus sive Deo patri, sive oculis communicantium representanda sit, quæ representatio rectè vocetur traditio Corporis Christi hic & nunc facta Deo Patri pro impetrandis beneficiis corporalibus, & spiritualibus, tum nobis tum aliis, tam defunctis, quàm vivis, id non frustra solum: sed & falsò pronuntiatur. Ex instituto enim Christi, fractio & effusio actiones*  
*merè*

merè instrumentales sunt, non morales. Neq; in voce FRANGENDI ulla emphasis moralis, aut typica est, non magis, quàm in voce BENEDICENDI. 1. Cor. 10, 16. Joh. 19, 33. Matth. 14, 19. Ex objectis autem ipsis s. materiâ Sacramenti, ejusq; intrinsecâ perceptione, conclusiones practica de commemoratione beneficiorum Christi promi jubentur 1. Cor. 11, 26. Matth. 26, 28. Nec Apologia agnovit, Missam appellari Sacrificium Sacrificii crucis applicativum. Ad applicandum quippe illud Sacrificium crucis propitiatorium, Sacrificio non est opus: sed Sacramento, & fide recipientis. Sacrificium verum DEO offertur, non applicatur. Applicatur autem hominibus per Sacramentum, & in Sacramento Corpus & Sangvis Christi per fidē, Sacramentū & rem Sacramenti percipientib9.

§. 37. Eadem ratio *Precum pro defunctis*, de quarum jure quæsitum, neq; verò in sensu diviso, (an sc. *orandum pro morituris*, sic ut effectus precum sese exerat post mortem, & vel in ipso die novissimo, quomodo nunc oramus in Litaniâ: *Am jüngsten Gericht hilff uns lieber Herr Gott!* & jam olim Paulus propter opera charitatis sibi ab Onesiphoro Roma in vinculis exhibita, & familia Onesiphori misericordiam à Domino prestandam, & ipsi Onesiphoro Patrifamilias, & Diacono fortè tunc Ephesino, dein post Timotheum demum Episcopo, & adeo unâ cum familiâ tunc adhuc mortali, precatur: *Dei ei Dominus, ut inveniat misericordiam apud Dominum in die illo* 2. Tim. 1, 16. 18.) sed in sensu composito, sc. an pro jam defunctis in Domino Orationes, imprimis publicæ Evcharisticæ, fundendæ, s. prout veteres loquebantur, *oblaciones in Missâ faciendæ*? Notum illud ex novissimis Monicæ ad Filios: *Tantum, inquit, illud vos rogo, ut ad altare Domini mei memineritis, ubicunq; fueritis* vid. Aug. l. 9. conf. c. 11. qui idem, quomodo pro Matre defunctâ oraverit, ibidem c. 13. clairissimè ostendit: *Ego pro bonis matris actibus tibi gratias ago, nunc pro peccatis matris meae te deprecor.*

Zzzz 2

precor.

precor. Exaudi me per medicinam vulnerum nostrorum, quæ peperit in ligno. Credo jam feceris quod te rogo: sed voluntaria Oris mei approba Domine! Namq; illa imminente die resolutionis suæ, non cogitavit suum corpus sumtuosè contegi, aut aromatibus condiri, aut monumentum electum concupivit, aut curavit sepulcrum Patrum. Non ista mandavit nobis: sed tantum MEMORIAM sui ad altare fieri desideravit, cui nullius diei prætermissione servierat, unde sciret dispensari Victimam Sanctam, quæ deletum est Chirographum, quoderat contrarium nobis. Solius MEMORIÆ ad altare faciendæ mentio, nulla Missæ vel precum in Missâ pro animâ Matris in Purgatorio, quomodo & jam supra, ex allegato in Apolog. Canone Græco notavimus Oblationes τῆς λογικῆς λατρείας memorari pro ipsis Patriarchis, Prophetis, Apostolis, & alibi Augustinus, meminit Martyribus non templa fabricari: sed MEMORIAS, sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivant Spiritus, & Martyres, ad Sacrificium, sicut homines Dei, qui mundum in ejus confessione vicerunt, suo quidem loco & ordine nominari, non tamen à Sacerdote, qui sacrificat, invocari conf. de civ. Dei l. 22. c. 10. Videri adeo poterat non alias admisisse preces pro defunctis, quàm εὐχαριστικὰς, non sanè ἰλαστικὰς seu propitiatorias. Alibi tamē pro valde bonis, quos vocat, non nisi εὐχαριστικὰς quidem agnoscit: at pro nec valde bonis, nec valde malis ἰλαστικὰς s. propitiatorias vid. Enchir. ad Lavr. c. 10. Cum Sacrificia, inquit, sive altaris, sive quarumcunq; elemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis, gratiarum actiones sunt, pro non valde malis PROPITIATIONES sunt, pro valde malis, nisi nulla sunt adjumenta mortuorum, qualescunq; tamen sunt consolationes vivorum. Quibus autem profunt, ad id profunt, ut sit plena remissio, vel certe tolerabilior fiat ipsorum damnatio.

S. 38. Commodè autem his apponitur ἐπιπίσις Lutheri in Art. Smalc. art. 21. de Missâ: Pontificii, inquit, allegant Augustinum & quos-

Et quosdam Patres, qui de Purgatorio scripserunt. Augustinus non scribit esse Purgatorium, nec etiam habet testimonium Scripturae, quo nitatur: sed in dubio relinquit, num sit? Et inquit, Matrem suam petiisse, ut sui commemoratio fieret ad altare s. Sacramentum. At hoc in universum nihil nisi hominum, Et quidem unius atq; alterius devotio fuit, non constituens articulum fidei, id quod solius Dei est. Nostri autem Pontificii sententias istas hominum citant, ut fides habeatur tetrīs, blasphemis Et maledictis nundinationibus de Missis pro animabus in Purgatorio, s. de inferis aut oblationibus. Sed ex Augustino nunquam ista probabunt. Et cum Missas Purgatorio destinatas aboleverint, quae ne per somnium quidem unquam Augustino in mentem venerunt, colloquemur tandem cum illis, an Augustini dicta, verbo destituta, sint admittenda, Et an mortuorum commemoratio ad Eucharistiam sit facienda? Ex Patrum enim Verbis Et factis non sunt extruendi articuli fidei. Regulam autem aliam habemus, ut videlicet Verbum Dei condat Articulos fidei, Et praeterea nemo, ne Angeli quidem.

§. 39. Utrum Augustinus in dubio reliquerit illud problema de Purgatorio, utrum pro purgatorio, an contra illud scripserit, quaerere hic licebat. Equidem expedita res foret, si libri illi, in quibus sive pro Purgatorio, sive contra hoc sententiae extant, liquidò essent Augustini: quomodo contraria Purgatorio sententia habetur in homil. 14. (Tom. 10.) Quisquis ad regnum Dei non pertinet, is sine dubio ad damnationem pertinet, quomodo & ibi, & alibi, contra Pelagium inter regnum caelorum, & damnationem medium locum asserentem, nullus, inquit, relictus est medius locus, ubi ponere queas infantes & hom. 18. duas post hanc vitam statuit inhabitationes; unam in igne aeterno, alteram in regno aeterno, nec minus pulchra sententia est contra Purgatorium Papisticum, in ep. 80. & l. 4. de Trin. c. 13. quam indicat Lombardus l. 3. sent. dist. 19. & in lib. de def. orth. fid. s. Ec-

clefiast. dogmat. c. 79. item hypognoft. l. f. (Tom. 7. circa fin.)  
 Primum, inquit, locum fides Catholica divinâ autoritate credit esse  
 regnum cœlorum, unde non baptizatus excipitur, secundum Geben-  
 nam, ubi omnis Apostata vel à fide Christi alienus. Tertium peni-  
 tus ignoramus, imo nec esse in Scripturis Sanctis invenimus & l. 1.  
 c. 28. de pecc. mer. & remiss. Non est ullus medius locus, ut pos-  
 sit esse non nisi cum Diabolo, qui non est cum Christo. At in En-  
 chir. ad Lavr. c. 68. 69. dubitat, vel saltem allegato loco 1. Cor.  
 3. 11. 15. problematicè in utramq; partem disputat, utrum detur  
 ignis pœnalis temporarius post hanc vitam? Et tamen mox ibi-  
 dem talem illum asserit ignem, per quem transturus ad gloriam  
 aq; sit architectus ille qui fundamento superstruxerat aurum, &  
 quàm is, qui fœnum. Etc. 70. Pro quotidianis brevibus levibusq;  
 peccatis, sine quibus hac vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium  
 satisfacit, quæ contraria sunt hypothefib; de Purgatorio Papi-  
 sticis. At lib. de verâ & falsâ pœn. c. 18. Prius probandus est igne  
 purgationis, qui in aliud seculum distulit fructum conversionis, &  
 lib. 21. de civ. Dei c. 16. mentio purgatoriarum pœnarum, quæ  
 nulla futura, nisi ante illud ultimum tremendumq; iudicium & c. 24.  
 mentio pœnarum, quas patiantur Spiritus mortuorum, sic tamen ut  
 in ignem non mittantur in æternum: sed remissio illis fiat in se-  
 culo futuro, quæ videbantur militare pro Purgatorio. Cete-  
 rum liber ille de verâ & falsâ pœn. non est Augustini, & poste-  
 rior quoque locus hypobolymæus visus Erasmo. Et to-  
 tum illud sustulisse videri poterat cap. 109. in Enchir. ubi Tem-  
 pus, inquit, quod inter hominis mortem & ultimam resurrectio-  
 nem interpositum est, animas abditis receptaculis continet, sicut  
 unaquaq; digna est vel requie, vel arumnâ, pro eo, quod sortita est  
 in carne, cum viveret. Neq; negandum est animas defunctorum  
 pietate suorum viventium relevari, cum pro illis Sacrificium Medi-  
 atoris offertur, vel eleemosyna in Ecclesiis sunt. Sed eis hac profunt,  
 qui

qui, cum viverent, ut hac sibi postea prodesse possent, meruerunt, quæ posteriora abeunt in communem plurimorum Patrum sententiam de omni anima apud inferos sequestratâ in diem Domini (prout loquitur Tertull.) vel prout Lactant. l. 7. div. Inst. c. 21. de omnibus animabus, extra cœlum, in una communi custodia detentis, donec tempus adveniat, quo maximus Judex meritorum examen faciat, quæ valdè abeunt à Purgatorio Papistico, & velut erronea damnata ante 3. secula sunt à Bened. XII. & dein à Concil. Florent. ut adeo preces pro mortuis Veterum, prout hodie Grecorum, ei fundamento sint inuixæ, quod Ecclesia Romana diruit. Conf. de illis Sixt. Sen. Bibl. Patrum lib. 6. annot. 345. Alph. Castro l. 3. adv. hæres. Sinn. in Saule ex rege p. 234.

S. 40. Rigoriosiores hic videri poterant, Sixtus Senensis, Alphonsus à Castro, Melchior Canus, Card. Cajetanus, qui perserveram illustri choro Patrū dicam scribunt, ipsumq; Psychopannychitarum vel Armenorum errorem tantis nominibus tribuunt, & hic illam quoq; occasione loci Apocal. c. 6. 9. sententiam Bernardi ex Serm. 3. & 4. festiv. afferunt, de 3. animarum statibus, primo in atriis, secundo in tabernaculis, tertio in domo Dei, sic ut primus sit anima in corruptibili corpore, secundus, anima separata, tertius anima in die novissimo corpori redunata, & beatitudinis consummata, qui idem ibidem: Animas Sanctorum adusq; diem iudicii quiescere, scribit, sub altari Dei, i. e. sub Christi humanitate, vel in solâ humanitatis Christi visione, donec veniat tempus, in quo filius Dei post resurrectionem universalem ostendat seipsum illis in formâ Dei, unâ cum Patre & Spiritu S. & ita illi exaltentur super altare, quam Sententiam Alph. Castrensis l. alleg. notat velut damnatam, quod ita admittit Sixt. Sen. l. alleg. ut tamen grato ac benigno affectu excuset Bernardum, propter ingentem numerum Ecclesie Patrum, qui huic dogmati autoritatem visi sunt suo Testimonio præbuisse. Tolerabilior tamen illa Bernardi sententia

tia

ria superioribus quorundam Patrum sententiis est, prout & illa Ambrosii. l. 2. de Abel & Cain c. 2. *Solvitur corpore anima, & post finem vite huius adhuc tamen futuri iudicii ambigua suspenditur.* Conf. quoque Arethius & Andreas Archiepiscopi Cæs. comm. in Apoc. tom. 1. Bibl. Patrum p. 1289. ubi in notis additum: *Hæc hominum aetate propter diversam Ecclesiæ sententiam, eam amplius tueri non licet.* E. Ecclesia Rom. hodie non potest ex illo fundamento asserere preces pro mortuis, ex quo & olim illi Patres, & hodie illam deducunt Græci.

§. 41. In quaestione adeo de precibus, quæ sive in celebratione Eucharistiæ, sive ante vel extra hanc, pro defunctorum requie, vel eorundem benigna in supremo iudicio absolute, vel gradibus gloriæ funduntur, mediâ regiaque sic viâ incedendum, ut nec, tanquam divinitus mandata, vel à Christo instituta, vel in representatione visibili & mentali simul passionis & mortis Dominicæ, quæ defunctis profit, possint, vel satisfactionibus pro pœnis & culpis, ipsique Purgatorio superstructæ, admittantur, nec simpliciter damnentur, & prohibeantur vel sic omittantur, ut cum illis omnis communio ecclesiæ militantis cum triumphante, omnis resurrectionis gloriôsæ votiva, charitativa, eucharistica, illorum, qui in Domino nos ad aulam Regis cœlestis antecesserunt, memoria, sepeliatur: sed ut *pia ornamenta memoriarum* servantur, sc. sic ut *DEO vero de illorum victoriis, quod in ejus confessione Mundum vicerunt, gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum cœlestium, eodem invocato in auxilium, ex eorum memoriæ renovatione excitemus, & cum Christo esse desideremus* conf. Aug. l. 8. de civ. Dei c. 27. Apol. conf. Aug. p. 274. 275. Luth. in art. Smalc. p. 308.

*Ad Præcellentem*  
*pietate, modestiâ, doctrinâ juvenem*  
DN. JOH. MEIERUM, Gedanensem  
S, S Theol. Cultorem floridissimum  
*Amicum jucundissimum*

*De*  
SACRAMENTO EVCHARISTICO  
publicè Responsum.

**S**ic, cui sunt Principatus & subacta Tartara  
Per crucis tropæa celsæ, per triumphos maxi-  
mos

Quos Redemptor ille mundi gloriosus explicat,  
FILIUS PATRIS supremi, dexteræq; gloria  
Te gubernet, imbuatq; Sacrosancto Flamine  
Mactæ ut spe, cerno nostrâ te cathedram scandere,  
Et SACRAMENTALE Verû, publicè defendere!


Cerne secli, cerne nostri calamitosa tempora  
Quod epulum voluit sacro dedicatum Numini  
Pacis atq; Christianæ Charitatis Vinculum,  
Quo coiret Asia, Pontus, Medus, & procul Scytha  
Cappadox, Phryx, Cres, Arabsq; , nec minus ferox  
Libys

Memphis, Ethiopumq; proles illa adusta solibus  
Quicquid undiquaq; habetur Christiani nominis  
Schismatis quàm triste pomum trux Erynnis red-  
Inde *Transsubstantiator*, Calicis ille furcifer (didit!  
Ille Misificus Sacerdos, cauda cui Draconis est  
Nun-




Nundinator ille Missæ Cælo abominabilis  
 Institor precum atq; Missæ maximè pro mortuis  
 Turbat, hinc, spoliator ipse Sacrosancti Corporis  
 Et cruoris, quo salus stat omnium credentium,  
 Institutionis ille adulterator pessimus  
 Lancinat sensus liquentes, tabula quos Evangelii  
 Terna, consonante Paulo vel quaterna, comprobat  
 (Quod negare neuter ausit: sed fateri cogitur  
 Stare contra se serenam Veritatis literam,  
 Et suorum luculentam stare discordantiam.)  
 Dissonantiâ sed ipsâ protenus repellitur  
 Putris & fiet quod arbor fructibus convincitur.  
 Quicquid hujus fuerit olim, quicquid inde parturit  
 Sic satis fecunda nostra maximis erroribus  
 Aurea haut ætas, sonorus, publicè tu differis  
 Conditumq; nocte opacâ plurimarum gentium,  
 Et latens verum, expeditum reddis à caligine.  
 Quid precer? lingvas rubentes igne Sancti Spiritus  
 Ille supremi Parentis Filiiq; Spiritus  
 Flamma qui potens potentis, digitus est DEUS DEI  
 Qui Prophetis dat calentes igneosq; Spiritus  
 Qui vigorem Evangelistis, gratiamq; Apostolis  
 Donat, & precibus vocatus, inserit se cordibus  
 Sic suis flammis adurat, sic tuum pectus regat  
 Gloria ut per Te potentis augeatur Numinis  
 Et per atria sacra festis personetur canticis!

AUGUSTUS VARENIUS.











(727)

qui, cum viverent, ut hac sibi postea prodesse possent, quæ posteriora abeunt in communem plurimam sententiam de omni anima apud inferos sequestrantur (prout loquitur Tertull.) vel prout Lactantius c. 21. de omnibus animabus, extra coelum, in unum diu detentis, donec tempus adveniat, quo maximum examen faciat, quæ valde abeunt à Purgato velut erronea damnata ante 3. secula sunt à Beronico Concilio Florentino. ut adeo preces pro mortuis Veterum Græcorum, ei fundamento sint inuixæ, quod non diruit. Conf. de illis Sixt. Sen. Bibl. Patrum 345. Alph. Castro l. 3. adv. hæres. Sinn. in Saul. S. 40. Rigoriosiores hic videri poterant, Siphonius à Castro, Melchior Canus, Card. Cajetanus, qui illustri choro Patrum dicam scribunt, ipsumque Patrum vel Armenorum errorem tantis nominibus illam quoque occasione loci Apocal. c. 6. 9. Serhardi ex Serm. 3. & 4. festiv. afferunt, de 3. animis primo in atriis, secundo in tabernaculis, tertio in primis sit anima in corruptibili corpore, secundus tertius anima in die novissimo corpori redumata, & sumata, qui idem ibidem: Animas Sanctorum dicitur quiescere, scribit, sub altari Dei, i. e. sub Christo vel in solâ humanitatis Christi visione, donec veniat filius Dei post resurrectionem universalem ostendat formam Dei, unam cum Patre & Spiritu S. & ita illi exaltare, quam Sententiam Alph. Castrensis l. allegat damnatam, quod ita admittit Sixt. Sen. l. allegat ac benigno affectu excuset Berhardum, propter verum Ecclesie Patrum, qui huic dogmati auctoritatem Simonis præbuisse. Tolerabilior tamen illa Ber-

